

SCRIPTA

Numéro Scripta : 837

Auteur(s) : Richard du Hommet, connétable de Normandie [autre]

Bénéficiaire(s) : Bayeux (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1174, 14 janvier

Lieu d'émission : Bayeux

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Transaction, en présence de Henri II, évêque de Bayeux, entre Richard du Hommet, connétable de Normandie, et le chapitre de Bayeux, au sujet du droit de présentation à l'église de Carcagny : le premier engage ses héritiers ; le second acquiert certaines redevances.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° XLV, t. 1, p. 54-56.

Texte établi d'après a

Ricardus de Humeto, conestabulus regis, omnibus ad quos praesens carta pervenerit, salutem. Controversiam, quae super ecclesia de Carchigneio, et ejus decimis, et terris, inter me et capitulum Baiocense vertebatur, sub forma pacis, quae subter annexa est, in praesentia domini Henrici, Baiocensis episcopi, sopitam fuisse noverunt universi. Ego Ricardus non monasterium, non alium locum religiosum, sed clericum singulariter sub habitu saeculari viventem, praesentabo capitulo Baiocensi ad cantariam ecclesiae de Carchigneio, et capitulum Baiocense instituet eum personam in ea cantaria, et dabit ei curam animarum. Ille autem, sic institutus persona, capitulo Baiocensi jururabit (sic) fidelitatem, et canonicam obedientiam, salvo jure meo, et haeredum meorum, super hoc jure praesentandi ; et si persona in hac ecclesia vicarium constituere voluerit, ad capitulum Baiocense adducet eum, et capitulum Baiocense curam animarum ei committet, et ipse capitulo Baiocensi fidelitatem jurabit, et canonicam obedientiam, salvo jure personae, et meo, et haeredum meorum. Et persona capitulo Baiocensi, annis singulis, mense octobri, reddet duos sextarios frumenti, in memoriam et recordationem perpetuam quod cantariam sic habeat ab eo, salvo mihi et haeredibus meis jure praesentationis ; capitulum vero Baiocense habebit in integrum duas garbas decimae de toto territorio Charchigneii, tam de blado, quam de lino, exceptis duabus garbis de dominico Serlonis de Lingebría, quas Templaria habent. Habebit quoque totam culturam quae dicitur cultura elemosinae. Quod autem hanc concordiam ego Ricardus, et capitulum Baiocense, inter nos firmiter bona fide servabimus, et quod si quis contra alterutrum nostrum controversiam moverit super praedicta ecclesia, vel ejus decimis, vel terris, nobis invicem consilium bona fide dabimus et auxilium : ego pro me et haeredibus meis, et Willelmus, decanus Baiocensis, pro se et pro capitulo Baiocensi, voluntate ipsius capituli, fidem in manu domini Henrici, episcopi Baiocensis, corporaliter manibus propriis praestitimus, ut ita ad observationem hujus pacis et concordiae haeredes mei et capitulum Baiocense perpetuo teneantur, interveniente scilicet metu religionis fidei hinc inde in manu domini Henrici, Baiocensis episcopi, corporaliter praedicto modo praestitae. Facta est haec concordia, Baiocis,

in præsentia Henrici, Baiocensis episcopi, in capella ipsius, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo quarto, nono decimo kalendas februarii, præsentibus : Willelmo, decano Baiocensi ; Stephano, et Thoma, et Roberto, archidiaconis ; Hunfrido, cancellario episcopi ; Azone, subdecano ; Henrico, succentore ; Willelmo de Broleio (?) ; Rogero de Arreio ; Radulfo de Petrariis ; Ricardo Commin ; Ricardo, filio Mauricii ; Roberto Pelleve ; Ricardo de Croleio ; Ricardo de Ros ; Willelmo de Criseto ; Wascio ; Bartholomæo ; Helya ; Philippo ; Radulfo de Dovera (?) ; Thoma de Anfrevilla ; Petro de Bosco ; Johanne de Condeio (?) ; Hunfrido Bove ; Johanne Grogneith ; Johanne Guarnerii ; Willelmo de Solers ; Eudone de Briceio (?) ; Willelmo de Carchigneio ; et pluribus aliis.